



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 1. Debet orare, sollicitè, qui cupit rectè vivere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

PRINCIPIUM I.

Debet orare, sollicitè, qui cupit rectè vivere.

Sensus.

Hoc est, Quisquis vitam suam rectè, &, prout Christianus debet, ordinare desiderat, orationem velut necessarium sibi diligenter suo tempore usurpare debet; maximè si oratio gravis superanda; aut aliud grave periculum aut malum à se, aut communitate avertendum, bonumve aliquod regnum à DEO impetrandum est.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Augustino ho. 40. ubi sic illud pronuntiat: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Item ex S. Hieronymo l. 1. de orando Deo, ubi ait: *Arbitror, cunctis manifestum, quòd simpliciter impossibile sit absque precatione profectio cum virtute degere. Etenim qui fiat, ut virtutem exercereat, nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui omnem omnem largitur homini.* Unde Suar. Laym. & hoc communiter Theologi dicunt, orationem juxta ordinatum modum à DEO constitutum ad homines salvandos, non tantum necessitate præcepti, sed etiam mediæ necessitatis.

Ratio.

Quia & rerum Naturis, & suavi Providentiæ ac gubernationi DEI, rationabilium creaturarum cooperationem exigit congruit, ut, posteaquam homines DEVM Authorem, & paternitatis suæ Adjutorem agnoverunt, ejus necessarium auxilium quærant, desiderent, & humiliter petant. Hinc scriptum dicitur Luc. 11. *Petite, & accipietis*, quasi aliter non potest fieri, nisi petatur, ut discurret Layman l. 4. tr. 1. c. 1. §. 2.

Praxis.

Hinc deducitur 1. sine intermissione (morali intellige) orandum esse, ut Christus hortatur Luc. 18. & S. Paulus 1. ad Cor. 4. quia Militia est vita hominis super terram, & ideo, Galfridus rectè dixit, nunquam deest orandi necessitas, nunquam est vera securitas.

Deducitur 2. Omnibus, ut S. Hilarius ep. 89. dixit, Orationem

tionem Dominicam esse necessariam, quam ipsis etiam Aristoteli dedit, ut unusquisque Deo dicat: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; cui enim hæc in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hinc sine peccato vivere pronuntiandus est.

Deducitur 3. Omnibus ferè operibus orationem iugendam esse, quia instabilis est bonorum operum structura, quæ devotâ orationis frequentiam non compaginatur.

PRINCIPIUM II.

Exaudit Deus infallibiliter, si homo petat convenienter.

Sensus.

Hoc est, si Homo debitas condiciones observet, necesse est ut petat necessaria & utilia ad salutem: ut petat pie: ut petat pro seipso, & perseveranter, certum est, quod obtenturus sit, quod petit.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura Matth. 24. Omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Item ex S. Thoma 2. 2. q. 83. a. 16. in corp. & communi Theologorum sensu.

Ratio.

Quia, cum Deus omnes homines salvos fieri velit, hoc sine ipsius auxilio obtinere nemo possit, hoc ipso, si talia auxilia convenienter ab ipso petantur, ea indubitatè communicabit. Hinc eleganter S. Bernardus S. 5. de quadraginta. Nemo nostrum parvipendat orationem suam; dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo. & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod novit utilius.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiam Peccatores obtenturos, quod petunt, si utilia petant; nam, si Peccatores Deus non exaudit,